Q. D. F. F. Q. E. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA, DE HYDROPE,

Quam,

INDULTU ATQUE AUTORITATE

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ

In illustri

SERENISSIMORUM SAXONIÆ DUCUM

ACADEMIA SALANA,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theoret. Professore Publico, Archiatro, & S. R. I. Naturæ Curiosorum Adjuncto, Facultatis p. t. Decano,

Patrono, Præceptore, ac Hospite summo observantiæ cultu ad cineres devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores, Insignia ac Privilegia Doctoralia solenni ac legitimo modo capessendi,

publico Philiatrorum scrutinio submittit

CHRISTIANUS LUDOVICUS GÖCKELIUS,

GOTHANUS,

In Auditorio Majori,

Horis ante & pomeridianis consuetis,

Ad diem 7. Februar. Anno M DC LXXXV.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

Serenissimo Principi ac Domino,

DOMINO

FRIDERICO,

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Principali Dignitate Comiti Hennebergiæ, Comiti Marcæ & Ravensbergæ, Dynastæ in Ravenstein & Tonna,

Domino Suo Clementissimo,

Specimen hoc Inaugurale

humillimo pectore consecrat

Serenissimæ Suæ Celsitudinis

Subjectissimus

CHRISTIANUS LUDOVICUS GÖCKELIUS.

PROOEMIUM.

HUmido vivimus, humido morimur. Magna differentia eſt inter humidum macrocoſmi & microcoſmi; illud commune eſt, & omnibus commodat, ut inde participent: hoc proprium, pro unoquoque regno aptatum.

Vita humidi ex motu cognoſcitur, morbus & mors ex quiete. Quamdiu debito alveo decurrit unda, vivido motu undulat, & impreſſum in centro ſuo motum provolvendo & trudendo propagat. Simul extra ſphæram abripitur, neque impenditur ad ſublimiorem, vappeſcit & putreſcit; idem in corpore videas.

Tàm neceſſarius corpori latex, quàm ſanguis eſt, dependens licet: communi vitâ gaudet, motu communi & proprio. Duo ſunt hi errones microcoſmi, abeunt à ſe invicem, opponuntur ſibi, coeunt iterum. Divelluntur à ſe, ut redeant; redeunt, ut divellantur, reciproco & vitali motu.

Non uno verò modo in hoc vitali ambitu afficiuntur. Sufficiat nobis nunquam eſſe debere ſtationarios, ut ſol & luna quoque nunquam obſervantur id pati. Stationarius redditur ſanguis variis caſibus: Stationaria lympha tùm aliàs, tùm potiſſimùm in ſolenni morbo, quem, bono cùm Deo, expoſitum imus!

CAPUT I.

De acceptione nominis & definitione rei.

PRimâ ſtatim fronte aquoſitatem præ ſe fert hydropis NOMEN, origine Græcum, hinc in foro Latio civitate donatum. Prædicatur enim latiſſimè de quovis aqueo, unde & aliquando apud *Coum* notat ſerum ipſum, ſeu aquam microcoſmicam, v. g. *l. 4. de morb. c. 1. t. 1;* ſtrictè & frequentius de morbo, ut hoc loco.

Sonat verò hydrops, quaſi dicas, aqua oculis obvia, ſive faciem aquoſam putemus, ſeu potius viſûs objectum in genere, humorem aquoſum repræſentans, adeoque in toto corpore & facie hujus externâ, tanquam ſpeculo.

Idem Germani quaſi ad verbum emphaticè reddunt die Waſſerſucht / quod in aliis quoque affectibus oculis obverſantibus obſervant, v. g. in vocibus Schwindſucht / Gelbeſucht / Bleichſucht & ſimilibus. Audit hinc etiam aqua intercus, vel aqua inter cutem, ut ſpatium, quo contineatur, pateat: ut minus Latinis uſitata hyderon, hydropiſin & barbaris hydropiſiam, paſſim ab autoribus denominata, non laudemus.

Quemadmodum verò plures ſub hydropis nomine militant veluti ſpecies, ita nemo nobis vitio vertet, ſi ſecuti tùm alios quoque, tum rem ipſam, ſub uno hoc genere reliqua comprehendamus. Et tanto quidem magis, quod non unâ corporis humani regione tumores aquoſos offendamus. Itaque latior & generalior acceptio eſſe poteſt, ut hydrops dicatur omnis tumor hujus commatis congeſtus; ſtrictè autem & ſpecialiter diſtingui poteſt hydrops in univerſalem & particularem. Inter *univerſalis* ſpecies κατ' ἐξοχὴν, & ceu norma reliquorum, hydrops dici meretur, cùm additamento *aſcites*, dictus ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, *ab utre*, à cavitate ſcilicet & contento, quod

velut

velut in utre efformato aquas contineat abdomen. Et sic propriè hæc Germanorum est die Wassersucht.

Tympanites, altera species, duo notat inprimis vi vocis, partim cavitatem repletam magis vento, seu aëre, flatibus, sensu medico; partim expansionem majorem & velut sonoram, cùm, si venter digito percutiatur, velut resonet; partim etiam, ad normam nominum in itis, calorem conjunctum, seu intemperiem calidam. *Hippocrates 4. aph. 11.* vocat ξηρὸν ὕδρωπα, *hydropem* respectivè *siccum*. Commodè dici potest hydrops flatulentus, & Germanico idiomate fuerit hæc die Windsucht. Rectè tamen suam nomenclaturam & huc extendunt; contradictio enim in adjecto est dicere aquam siccam, nisi, quod res ipsa loquitur, cum humido flatus conjunctus concipiatur.

Anasarca demùm limitat aquositatem ad certum locum, quæ propriè est aqua intercus, quatenus extimum corpus, seu totum, seu quoad maximam partem, quoad ejus poros adimplet. Audit hæc quoque leucophlegmatia, & Germanicè dici posset die wässerige Bleichsucht.

Dicimus tres has species universales, sed respectivè, eo nimirum sensu, quod tum in his viscera principaliora, quæ universæ machinæ humanæ præ cœteris velificantur, mandantis vicem utplurimum gerant; tum quod potiorem corporis partem vel occupent, vel afficiant simul, nec unâ in parte circumscribi se patiantur, sed universum magis petant, & in omnes dimensiones suum vertant regimen.

Particulares quoque dari hydropes extra dubium est, tuncque determinatam & individualem quasi accipiunt notionem, pro diversitate nempe partium & distinctione meliori, ut dicatur hinc hydrocephalus, hydrops thoracis, hydrocardia, hydrops pulmonum, uteri, scroti & ambitus reliqui extremorum. Addi verò debet, quod sæpe non tam causa variet, quàm pro partium saltim modulo habeant sua fata hæcce nomina.

Ideoque, ut hydropis penitiorem accessum sortiamur,

Definitionem sequentem ponimus: Hydrops est tumor corporis aquosus, in cavitatibus & poris, à congestione lymphæ p. n. extravasatæ dependens.

Genus, seu rationem formalem explicat tumor, seu distensio partium & eminentia in longitudine, latitudine & profunditate, manifestò se prodens & in sensus incurrens.

Tumor est corporis hydrops non quidem naturalis, qui ordinariè in certis corporis regionibus ex necessitate à naturâ fabricatus est, uti protuberat aqualiculus, & in sequiori sexu sororiantur mammæ; Neque non-naturalis, ut excludatur obesitas ventricosa & gestatio uteri in gravidis, quæ sub specie hydropis, uti hic illorum quoque, non rarò ludit; Sed præternaturalis, excusso archei jugo exsurgens atque rebellis, qui lento plerumque ast periculosissimo tramite incedit.

Constat abunde ex pathologiâ, quanta sit tumorum diversitas, nobis suffecerit hâc vice differentiæ loco nominasse aquosum, à causâ continente, seu materiâ tumoris, à subjecto, à modo etiam fiendi consequenter à reliquis distinctum.

Aquosus est, sicque à sero oriundus, quod materia magis frigidorum tumorum est, ut sanguis calidorum, inflammationum, abscessuum & aliorum, à quibus diversus est noster hic, quamvis secundariò inflammationem ob salia acria non rarò adsciscat symptomaticam. Aquosus, unde frequentius mollis est, nonnunquam verò etiam durus respectivè & renitens. Aquosus denique à potiori denominatur, quo ipso tantum abest, ut excludamus reliqua substrata, ut pituitosum in anasarcâ & œdemate, flatuosum in tympanitide, ut potius hæc modum quasi dicant; & sub hoc genere comprehensa magis illustrentur. Aqua mater pituitæ est, quæ nil aliud notat, quàm serum, seu lympham in coagulum abeuntem & minus fluxilem. Aqua mater flatuum, quatenus rarefactionem subit, id quod mechanicè etiam demonstrari ad oculum potest. Adde, nec

ana-

anasarcam, nec tympanitidem esse sola, sine aquâ, tanquam materiali morboso præcipuo. Quia ergò in tumore radicatur ratio hydropis, morbus est conformationis, tum quoad magnitudinem potissimùm, tum quoad cavitates ipsas & meatus.

CAPUT II.

De Subjecto.

ANtequàm SUBJECTI claustra intimiora reseremus, præmittere operæ pretium erit distinctionem inter *subjectum causæ* & *morbi*, quæ benè sunt notanda, si citra confusionem procedere animus est; aliud enim est *locus*, aliud *focus*, aliud *pars mandans*, *recipiens* aliud.

Porrò lustrandum, quodnam sit *subjectum principale*, quod *adæquatum*. PRINCIPALE MORBI SUBJECTUM dici merentur cavitates & pori, in quibus fit hujus colluviei collectio. Utrosque conjungimus, ut majores & minores innuamus.

Dantur cavitates & meatus in nostro corpore non unius generis, ut & in hoc naturæ artificium, hydraulico non absimile, mirari non satis liceat, quando loca & cisternas undique sibi formavit, ubi superfluus & vitalis adhuc humor ad tempus asservari, & unde pro necessitatis exigentiâ depromi possit in statu naturali. Afficiuntur cavitates & pori in hydrope, quæ quidem non repugnant suâ naturâ, nec magis in motu & activæ sunt, quàm quietæ, quod exemplo cordis, ventriculi, pulmonum, vesicæ, renum clarum esse potest. In his enim cum congeri nequeat ita, ut stagnet præternaturaliter (prout hoc loco in aliis fit,) ibidem lympha, neque hydrope propriè laborant, vel affecta dici possunt.

Cavitates subjectum hydropis statui possunt tùm ordinariæ, tum extraordinariæ. Illæ, quæ s. n. jam extant, hæ, quæ efformantur, si pori non tam amplientur æquali-

ter, sed ita dilatentur, ut ichor inibi stagnans cavitates novas nanciscatur, exemplo hydatidum & aliorum. In ascite & tympanitide magis cavitates, in anasarcâ respectivè magis pori afficiuntur.

Ut magis hæc pateant, progredientes ad speciem notissimam Anatomicorum aliàs distinctionem jam nostram facimus, quâ discriminatur machina corporea in ventres & artus. In supremo ventre caput duplici cavitate conspicuum, tùm extra cerebrum communi, quod est spatium inter cerebrum & calvariam, tum intra idem propriis, ventriculis. Hi nihil aliud sunt, quàm spatia, ex partium cerebri superiorum, inferiorum & lateralium, contiguitate suborta, lymphâ irrigata decenti quantitate. Iisdem se associant sinus, quos venosi generis, vel vasorum lymphaticorum potius, processus conniventes esse experimento evincitur. Ut taceam totam cerebri substantiam nil, nisi anfractus, positu suo & substantiâ glandulosâ formare, quos culter anatomicus peritè explicare novit.

Quod si jam lympha oras has suas transcendit in capite, gignit *hydrocephalum*, infantibus ac pueris familiarem, ob partium cerebri in his summam teneritudinem & suturas nondum ferruminatas.

In medio ventre solennis est cavitas communis thoracis, quæ ordinariè cordi & pulmonibus destinata est, ut hi ritè expandi & illud liberè moveri possit. Sin lymphæ in hanc fiat transfusio & stagnatio, horum actiones sufflaminari necesse est, & hydrops thoracis audit, ab empyemate distinctus.

Hinc pulmonum hydropem quando dicimus, ipso præeunte *Coo*, ἀκύρως paulò id fit; non enim intelliguntur cavitates cellulosæ seu spongiosæ adimpletæ, hoc enim ferinum malum & suffocativum, sed laudatum spatium, ubi pulmones eo casu velut in balneo undulant & premuntur.

Sic & cor thalamo suo gaudet & involucro singulari, peri-

pericardio, in quo lympha decenter colligitur, & indubiè à glandulis & vasis propriis huc deducitur. Spatium nihilominus, seu cavitatem, inibi efflagitat secundùm bonam partem vacuam, in quâ scintillationes suas pulsu emicante peragere possit. Stagnante eâdem p. n. fit *hydrocardia*, seu hydrops cordis, adæquatè saltim, ut de pulmonibus diximus.

Infimus denique venter cavitate communi amplissimâ gaudet, ad plurium insignium viscerum contubernium. Hic verò omnium frequentissimè hos patitur manes, seu ob tantam viscerum congeriem, quorum modò hoc, modò illud labem suam eò derivat, seu ob situm, siquidem sentinæ instar se habet, in quam serum extra vascula stillans, exitu denegato, colligitur & in tumorem fatiscit, ut adeò hæc hydropis species sit instar omnium reliquorum. Eadem ratio est scroti, quod infimi ventris est veluti appendiculum externum, seu sacculus coriaceus, testibus hospitandis dicatus, quorum ipsæ quoque tunicæ aquam nonnunquam in se condunt. Adeoque hydrocele etiam huc spectat.

Neque tamen contenta in eodem viscera quoad cavitates proprias immunia esse possunt, quin quò major in viscere est humorum affluxus & vasorum scaturigo, lymphaticorum in specie, eò proximius huic morbo accedit, quin eidem conjungitur & originem largitur.

Ita visum est *hepar* non solum quoad substantiam suam tumidum satis, sed in vesiculas etiam stagnans humor erupisse, hydatides vocatas, quarum disruptio autor sæpe morbi deprehensus fuit à Practicis. Mittimus hepar magnitudine insolitâ auctum mentiri nonnunquam hydropem, quem spurium hinc rectè nominat *Helmontius*, qualem præter ipsum & *D. Præses* observavit.

In *liene*, ex meris quoque cellulis concamerato & formato, parilis notata fuit turgescentia non unâ vice. Par ratio est *pancreatis*, *mesenterii*, *renum*, quorum structura non abludit, rarius tamen paulò extensam membranam lymphâ ostenderunt.

In sequiori sexu sistit sese *uterus* cum testibus & tubis spectatus, cujus tumor hydropicus graviditatem ægris sæpè & medicis mentitus est, (qualia exempla hinc & inde in observationum fasciculis prostant,) modò in ipsius uteri cavitate, modò in testibus, tubis, & ligamentis. Sic notavit *Schenckius* hydropem in testibus muliebribus ad capitis magnitudinem excurrentem. *Fernelius l. 6. pathol. c. 15. p. 557.* mentionem facit mulieris, quæ hydrope uteri laborans mensibus singulis, ante eruptionem sanguinis, pelves sex vel octo aquæ citrinæ per uterum expurgavit. Et memoratu digna est observatio *Ann. II. Dec. II. Ephemer. Germ. observ. 95. p. 233.* consignata, hydropis in virgine per 15. annos durantis, cujus sedes post apertum cadaver in dextrâ uteri tubâ deprehensa fuit, tantâ aquæ copia repletâ, ut centum & duodecim libras æquaret. Simile exemplum notavit *Rolfincius epit. aff. partic. l. 3. c. 9. p. 231.* Vidit *D. Præses* in hydropicâ fœminâ, à scirrho hepatis, simul ictericâ, post mortem aquam per os, anum & inprimis per uterum copiosam effluxisse.

Neque tamen absolvi penitus possunt ab hoc reatu *ventriculus* & *intestina*: Quamvis enim exitu gaudeant manifesto, stagnare nihilominus & in iis potest tum serum, tum flatus, unde sunt, qui tympanitidis sedem in intestinis locant, (hujus enim sedes in his cavitatibus magis est, quàm in aliis, & poris ipsis,) unde mirum quantum extenta non raro visa eadem. Satis est fieri & in ventriculum restagnationem, imò μετάπτωσιν quandam ex reliquis cavitatibus, quod & de pulmone eatenus verum est.

Præter cavitates seorsim etiam *poros*, veluti alterum subjecti principalis membrum, affectos magis observamus in artubus, seu extremis.

Artus contiguo & continuo musculorum & tendinum nexu ita firmati sunt, ut nihil facilè citra penetrationem dimensionum, seu solutionem continui admittant, poris nihilominus innumeris scatent. Hi non solùm transpirationi naturali & excretioni uliginum inserviunt, ut exterio-

teriores in glandulis ſubcutaneis exſculpti, qui in anaſarcâ magis patiuntur; ſed & circulationi ſanguinis & lymphæ, ut interiores, qui & in anaſarcâ & aſcite cumprimis dilatantur, à ſero onerati, ſeu quoad totum aliquando corporis habitum, ſeu in partibus, manibus, pedibus, in œdemate, quod velut anaſarca particularis eſt.

Frequentiſſimè pedes ſuſtinent hoc ſtagma hydropicum, ſeu primi malum ſentiant, revehi dubitante lymphâ & ſcandere ſic ſurſum, ſenſim hinc aſcendente reſtagnatione & tumore in abdomen usque, ſeu ex hoc illuc per poros carnium & cutaneos tranet. Facit huc illorum ſitus, ſiquidem ſerum à volatilitate deſciſcens motum gravium æmulatur naturalem potius, quàm vitalem; remotior item à fonte caloris ſtatus, & debilitas non tantum nativa, ſed & acquiſita.

SUBJECTUM ADAEQUATUM conſtituunt partes, quæ repletis cavitatibus & poris coextenduntur vel comprimuntur, muſculoſæ, membranoſæ, & fibroſæ inprimis, harum enim auxilio pars tendi & contrahi ſe patitur; & paries univerſi corporis, cutis. In has ultimatè redundat malum, ut creſcenti indies humori in quantitate, ſeu mole, ſpatium amplius concedere cogantur.

Ex his in communiſſimâ hydropis ſpecie aſcite, & paulò rariori tympanitide, eminet peritonæum, membrana interius abdomen cingens, nomen ab officio nacta, dura ac tenſa, muri inſtar & propugnaculi interiora muniens, quæ tenſio, cum fiat inprimis ſucceſſivè, conſentanea eſt mechanicæ harum partium ſtructuræ, unde rumpi minus ſolet, vel poteſt. In anaſarcâ integumenta cutanea non minus ac muſculi ipſi tenſionem majorem experiuntur, & ſeorſim in ſingulis pinguedo nativa quoque de tono ſuo dejicitur, depoſito lymphæ ſtatu oleoſo, & adſcito acri, acidoque, illum liquante & peſſundante, ut aqua ſuperet ſulphur & iners reddat. Eadem ratio eſt in reliquis, ut in capite v. g. meninges, in thorace pleura, & in viſce-

ris cujusvis diluvio proprio membrana domestica ac involucrum huic tensioni, viscera verò subjecta compressioni subjiciantur.

Subjectum Causæ pro diverso respectu & specie hydropis variat. In genere tamen viscera seri vitalis præparationi, depurationi, & deportationi inservientia id sustinent. Prioris nomine inculpanda sunt hypochondria, hepar, lien, mesenterium, pancreas, renes, intestina & quæ alia cavitati abdominis sunt contigua, ut illuc dimittere immediatè, vel mediatè lympham exundantem possint. Posterioris titulum merentur glandulæ infimi ventris & subcutaneæ, ipsaque ex his oriunda vasa lymphatica, præter naturam aperta & lympham undecunque dimittentia. Hæc autem symbolica lymphæ cribra ac alvei non saltim in extimis partibus, visceribus majoribus & κατ᾽ ἐξοχὴν glandulosis, sed & in toto corporis tractu hinc & inde extant, ut humorem sanguinis socium seorsim variè dispensent.

Utrumque subjectum modò *per essentiam*, modò per *consensum* laborare, extra dubitationis aleam positum est. Illud fit, si in ipso lateat & radicetur causa, seu scaturigo & velut fons mali; Hoc, quando aliunde derivatur & colligitur, seu ob canalium, seu ipsius quoque suo modo nervosi generis communionem.

Caput III.

De causis hydropis.

Fractâ semel glacie viam ulterius prosequimur, &, cum latifundia hydropis perruperimus, investigandi sunt illius fontes & scaturigines. Excutiendum itaque nunc est, tùm quomodo hoc diluvium, seu inundatio microcosmi fiat, tùm quibus veluti obstetricibus.

Causa Immediata & Proxima est congestio lymphæ extravasatæ, præternaturalis puta. Hâc enim positâ

sitâ in cavitatibus & poris ponitur & constituitur hydrops; ascites, si lympha fuerit magis aquosa; tympanites, si magis halituosa; anasarca, si viscida magis hanc congestionem subeat.

Enimverò si ductum naturæ spectemus, lymphaticus hic humor alveos suos habet cum sanguine divisos, in quibus non nisi justâ quantitate & qualitate undulare & totum corpus nimbo suo blandè irrigare debet. Hos limites egressus, naturæ onerosus fit & archei jugum rebellis excutit, peregrino indies charactere magis magisque sigillatus. Fieri extravasationem & quidem non ad extra, sed ad intra sensibus obvium est, modus autem rationi, & idcirco accuratiori trutinâ expendendus.

Commodius in hoc feremur, si tres extravasationum modos & species in proscenium ducamus, ἀναστόμωσιν, διαπήδησιν & διαίρεσιν, in scholis medicis pariter ac re ipsâ fundatas. Quemadmodum enim seu fluxionum, seu congestionum quoque aliquando, sanguinis extravasati hæ causæ sunt; ita eodem jure ac titulo idem præstant, nostro quidem judicio, in lymphâ. Utrobique est humor, utrobique vasa, è quibus excidit, dictis iisdem, non aliis, modis.

Ἀναστόμωσις, seu osculorum lymphaticorum vasorum reseratio præternaturalis concipi potest, quando extremitates horum plus justo hiant, ut plus invehatur, quàm evehatur ex parte. Et sanè ἀναστόμωσις talis naturalissima visitur ad sensum in ore, quando lympha, saliva hîc audiens, (ut eadem aqua pro diversitate loci nomen sortitur, quod de fluminibus est notissimum,) copiosè secundum naturam exstillat continuo velut tramite. In nostro verò casu contingit v. g. tum ob copiam lymphæ & onerositatem, unde exitum affectat, velut ναυσιώσει quâdam, tùm vasorum tenacula imbecillia, ut de humoris à statu vitalitatis propriæ abeuntis culpâ nil dicamus. Id omne verò exemplo pedum optimè explicari potest, vasis lymphaticis in extremitatibus plus debito hiantibus & laxioribus redditis,

tis, quàm ut citra diffusionis & relapsus metum recipere possint & revehere lympham separatim.

Διαπήδησιν verò, quàm transudationem vocant, lymphæ, concipere possumus in delicatioribus membranis ampliatis & expansis à transudante p. n. lymphâ, v. g. in oculorum tunicâ adnatâ, cujus suffusionem hydropicam, undulante subtus pellucido sero, observavit *D. Præses*. Supponit eadem rarefactionem & motum vitiosum, porosque simul hiantes, & noviter etiam fabrefactos, quod optimè concipi potest experimento toto die in sudoribus visendo, solâ differentiâ, quod hic loci id fiat ad intra magis.

Διαίρεσις denique frequentissima est, & in fissione non minus ac erosione vasorum atque pororum consistit, supponendo lympham salibus nimis saturatam, vel violentiam externam aliam.

Hisce statuminatis, facilè largimur, pro variante hinc hydropis statu, quod ad lectum patet, unum præ altero horum magis, vel minus, solitariè, vel conjunctim in causâ esse. Sufficiat nobis exposuisse hæc, ut amplitudinem causæ immediatæ illustremus sic & complectamur, facili hinc ad singula seorsim aptandâ explicatione.

Extravasationem hanc tensio partium, ut individuus comes, sequitur, & seri fit incarceratio, indicio introitum invenire illud eumque præternaturalem, sed exitu destitui, consistens intra parietes illos, à quibus circumscribitur. Tantusque est tumor atque distensio, quantus humor collectus, vel conjuncti flatus, idque vel inæqualiter respectivè in prioribus duabus speciebus, vel æqualiter magis in anasarcâ.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est circulatio lymphæ læsa, ut sic & indispositionem seri ipsius & alveorum complectamur. Ponemus verò ulterius, & vias in corpore humano & cavitates liberas esse oportere, omne verò fluidum gaudere motu, nulla stagna silentia & quieta dari, &

serum

ſerum ipſum vitalitatis ſuæ characterem ac vigorem à ſanguine mutuari, ut plura huc facientia non laudemus.

Extravaſationi ergò huic velificantur morbi alii duo cumprimis generales, intemperies & obſtructiones.

Intemperies humida cum ſit in hydrope, humidum verò à regimine caloris dependeat, unde & qualitates paſſivæ, humidum & ſiccum, dicuntur, neceſſum eſt, ut ab ἀκρασίᾳ caloris & ſic archei regentis eam arceſſamus.

Liceat nobis hoc loco hydropem alium frigidum, alium calidum ſtatuere. Frigidum ab exſuperantiâ ſeri magis aquoſi, & inertis, ab intemperie frigidâ; Calidum ab exſuperantiâ ſeri acrioris, ab intemperie calidâ. Utraque datur ſpecies, utraque cauſa, quamvis & media viſatur, ſenſim acrimoniam majorem concipiente lymphâ.

Quandocunque itaque depauperatur ſanguis, ejusque particulæ balſamicæ bilioſæ, ſerum increſcit & ad exundationes diſponitur. Faciunt huc depletiones nimiæ, ſeu manifeſtò & ἀθρόως factæ, ſeu ſenſim, unde ſymbolum addunt omnes hæmorrhagiæ nimiæ, à quacunque causâ inductæ, narium v.g. vomitus cruentus, hæmoptyſis, immodicus menſium fluxus, dyſenteria, & quæ injuriâ externâ quandoque contingere ſolet, per vulnera, vel venæſectiones repetitas, largior ſanguinis profuſio. Hoc enim nectare & vitæ theſauro deperdito intemperiem totius & partium frigidam inſequi neceſſe eſt, quæ fœcunda cruditatum & morborum, inprimis hujus, genitrix eſt.

Par ratio eſt lentæ corporis & virium exhauſtionis per febres tùm continuas, tùm intermittentes, inprimis quartanas, per diarrhœas longiores, purgantia crebrius adhibita, maximè cholagoga, phthiſin, hecticam. His omnibus ſæpiſſimè ſupervenire hydropem teſtis eſt experientia. Dejecto quippe viſcerum tono nec genuina diſtributio ſucci nutritii, nec appoſitio debita conſequi poteſt, hinc vel citius elabitur vaſa, vel poris moleſtè innatat,

Quan-

Quandocunque verò ita accumulantur biliosæ, ut exacuentur & ipsæ, & inde quoque lympha, ut acrimoniam erodentem concipiant, vasa lymphatica non minus inde obliterari, occludi, & utroque modo, vel tensione, vel erosione, dirumpi hic illic, & sic deviare in cavitates contenta lympha solet. Quo uno dato inconvenienti plura insequuntur presso pede, & sanguis ipse quoque diluitur, ichorescit & producendo diluvio huic velificatur.

Obstructiones viscerum pariunt hydropem, & serum, ejus causam materialem & continentem, reddunt hydropicum frequentissimè, inprimis glandulosorum, v. g. hepatis, lienis, mesenterii, pancreatis, uteri, renum & similium.

Non mirandum hinc est, hepar velut πρῶτον δεκτικὸν hydropis & veluti sedem habitum à veteribus. Id enim, quomodo concurrat, non tàm ex αἱματώσει, olim ipsi adscriptâ, æstimandum, quàm ex aliis recentiorum inventis. Est hepar ex acinis glandosis confertum, plurimis gaudens rivis vasorum lymphaticorum, bilis colatorium, vasorum, aliis omnibus partibus contra, plurium receptaculum, hydatidibus præprimis obnoxium; quæ omnia hydropis γένεσιν non parum illustrant, si ex hepate derivetur.

Neque æstimandum est eo casu solùm ex constipatione, scirrho maximè attendendo, & similibus, quod hæc sint solùm morbosa. Culpa etiam hæret sæpe penes ipsum, rubello quamvis colore parenchyma sic satis integrum post mortem occurrat. Vidit *D. Præses* eo casu aliquando in dissecto à se hydropico hepar cæteroqui floridum & ad sensum benè habens, sed penitus exangue, cum bile quasi flammeâ & spissiori.

Sufficiat, hoc viscus plurimum ad hydropem conferre, unde & icterici sæpenumerò apparent hydropici confirmati, nec excludendos verò esse ejusdem in depurando sanguine socios. Hinc hypochondriaci, scorbutici & alii obstructionibus & tartaro cœnoso fœti sæpissimè excludere hydropem solent. Eadem ratio est lymphæ viscidæ, coagulabilis,

bilis, tartareæ, quæ obstructiones & non rarò etiam calculosum magma progignit.

Imò dudum quoque ab ipso cerebro ῥόον seu *fluxionem* talem fieri *Cous* asseruit, *l. de loc. in hom. c. 18. t. 9.* quod non aliâ ratione locum habet, quàm si vel deviet serum ob obstructiones, denegatâ ordinariâ ad extrà transitione, vel ob ἀκρασίαν spirituum animalium commercio exuatur, nec ordinem amplius teneat suum, hinc in cavitates & poros congerendum facilè. Neque enim in hisce vel extremis recipere novit suam temperiem, quin intemperatius, seu ἄκρατον stagnat, & stagnando intemperatius redditur magis.

Ex his scilicet principiis enascuntur elementa hydropis, aqua & sal, moderationis leges transgressa, qualitate vitali sensim exutâ, ad motum aptitudine deficiente, unde varia Φαινόμενα concinnius enucleari queunt.

His positis facilè liquet, quomodò ex reliquorum classe huc faciant, quæ CAUSÆ REMOTIORES quidem dicuntur, ad proximiores verò aditum sternunt.

Confert huc prævia suâ dispositione TEMPERAMENTUM FRIGIDUM & HUMIDUM, in quo abundant & facilè augeri onerosæque reddi queunt particulæ serosæ; unde senes, humiditate nativâ acetosâ magis redditâ, præ aliis hydropem patiuntur. Per accidens verò etiam temperamentum calidum & siccum.

AER FRIGIDUS & AUTUMNALIS transpirationi non minus, quàm inspirationi valdè inimicus est, quibus interruptis excrementitia lympha cumulatur magis.

De CIBO & POTU idem affirmare licebit, quin solus sæpè victus in causâ est, quatenus vel plus ingeritur mole, quàm ut digeri possit aut didi in corporis nutrimentum; vel qualitate vitiosâ, viscidâ, feculentâ nullum fermentationi aditum concedit, ut justa διάκρισις institui nequeat; vel fermentum ventriculi pessundat potius. Exemplo satis evidenti id probant heluones & tabacibibuli, qui per quod peccant, per idem puniuntur & iidem, ultimum hinc poculo-

rum & ingluviei præmium, hydropem, sæpius reportantes, ut & qui spiritus vini potu delectantur ordinariè, emoriente hinc sensim appetitu, lassato corpore, & lymphâ de vigore debito dejectâ.

Meminimus observatum ab *Excell. Dn. D. Faschio*, ancillam ex esu panis recentis, haustâ desuper frigidâ, tumorem ventris contraxisse, ita, ut graviditatis hinc suspecta careeri inclusa fuerit, donec præter omnium opinionem eventus doceret contrarium, brevi enim post umbilico sponte aperto ingens aquæ profluvium suspicionem & morbum solvisse.

Et sic quoque hinc inde legere est observationes, quomodo ex erroribus diætæ aliis, à jejuniis quoque, quiete & vitâ sedentariâ, lucubrationibus, animi affectibus, irâ, excretis deficientibus, alvi v. g. mensium, hæmorrhoidum, sudoris ipsius & aliorum, vel excedentibus hydrops fuerit enatus, quæ largius huc congerere nostri instituti jam non est.

Res Præternaturales jam nominavimus abundè, quorsum & luxatio femoris & inde motus sufflaminatus aliquando confert; cachexia item in utroque sexu, maximè scorbutica, in virginibus χλώρωσις, præco hydropis & prodromus. Podagra etiam, si serum phlegmaticum, vel acre in M. S. regurgitet, peregrino charactere inducto, ut subjugatis particulis sulphureis blandis multum à bonitate suâ desciscat, & consequenter obstructiones viscerum pariat, frequenter admodum in hydropem extuberat. Causas alias occasionales plures, quibus depingendis vix pagina sufficeret, facile ex jam dictis metiri licet.

Caput IV.

De Differentiis.

Differentias non minimum illustrabunt superius jam tacta. Ratione Generis nempe hydrops alius est *totalis*, ubi, nullâ quasi exemptâ parte exteriore, universale

le magis visitur diluvium; alius *particularis*, qui partem hanc illam solitariè affligit.

Deinde alius est *simplex*, ut ascites solus, anasarca sola; alius complicatus, ut quando ascites cum anasarcâ, ascites cum tympanitide, vel vice versâ connubium facit. Alius, velut ab oriente fluens, ἄνω incipiens ad omnes hinc dimensiones exporrigitur, alius ab occidente κάτω & à pedibus scaturiens versus superiora assurgens. Alius desubitò, alius gradatim accedens; Alius sibi relictus, alius diversis symptomatibus comitatus. Sic & recens alius observatur & visceribus adhuc integris; alius confirmatus & cum notabili viscerum corruptelâ; alius etiam mollis & tactui cedens, alius durus, rigidus, tensus, quæ pleraque sparsim jam tetigimus.

Ratione Subjecti, in alio hoc, in alio illud viscus magis affectum est, unum vel plura. In alio est dispositio essentialis & causa radicata, in alio consensualis; in alio à facultate læsâ, in alio ab errore externo dependens. Hæc enim omnia probè attendamus oportet, cùm & modum dicant morbi & typum, curam verò exposcant dein non unius generis.

Pro Causarum aliarum modulo in tot abit differentias, quot harum propullulantes surculi altas sibi in corpore figunt radices, quæ tamen ex suis signis facilè patescunt.

Caput V.

De Signis Diagnosticis & Prognosticis.

Hydropis Signa ex iis sunt, quæ in sensus incurrunt, oculis, auribus & tactui obviis φαινομένοις.

Imminentem patefaciunt minori gradu apparentia, quæ confirmatum notant. Rarius enim paulò ἀθρόως καὶ βιαίως simul ac semel incidit, cujus tamen exempla visa

 sunt;

ſunt; ſed pedetentim ferè ſubrepit. Inſtar omnium ſit cachexia ſimplex, vel ſcorbutica, & quæ hanc comitantur alia vel producunt, & tumor pedum, appetitus proſtratus, febres diuturnæ, quartana v.g., prægreſſæ, urina cruda, pauca, aquoſa & tenuis, corpus inæqualiter tumens, laſſitudo, reſpiratio difficilis ad aſcenſum ſcalarum vel motum alium.

Essentialiter Inhærens præſentis eſt tumor abdominis, diſtinctus ab obeſitate, à graviditate, ab inflatione ſimplici poſt partum & ſimilibus; tumor item ſcroti, pedum, & procedens in corpore reliquo. Variat enim hic tumor ratione *locorum*, prout vaſa lymphatica infra cor vel hepar poſita, vel extima etiam ſuperiora magis labefactata ſunt. Hinc modò pedes non æquè ſimul tument, modò magis. Par ratio eſt ſcroti & umbilici ipſius. Non verò facilè pro hydrope habetur, confirmato ſaltem, ſi tumor nullus eſt circa abdomen, quod & de ipsâ anaſarcâ valet, quæ, niſi circa glandulas cutaneas magis ſit στάσις, ubi univerſum corpus occupat, eodem climate ac aſcites contenta eſt

Variat ratione *qualitatis*, modò mollis eſt, & œdematoſus digiti impreſſi veſtigium ſervans, conſtans tamen magis, quàm vagus; modò durus, ut diximus, quod tùm in pedibus verum eſt, tum aliis quoque partibus. Conſiderato verò loco & qualitate tumoris diſtinctio etiam fieri poteſt, utrum ſola aqua, an flatus, an viſcedo conjuncta magis; in aſcite & anaſarcâ extenſivè, in tympanitide intenſivè major eſt.

Variat ratio *quantitatis*, prout major, vel minor copia aquæ, vel flatuum intus reconditur. Ea tamen extuberantia demum eſt hydropica, quæ & naturalem uniuscujusque ſubjecti excedit dimenſionem, & à contentis p. n. fovetur.

Hinc Essentialiter Consequentia, idem confirmantia, varia ſunt in ſymptomatibus omnis generis. Læduntur actiones cumprimis naturales, ſalvis ſic ſatis reſpectivè reliquis. Appetitus quidem ciborum dejicitur, ſitis

tis increſcit, minus tamen in anaſarcâ & ubi ſalis copiam excedit diluens aqua, adeoque non omni in hydrope æquè urget ſitis. Pulſus mollis & frequens eſt, reſpiratio difficilis, ſub initium inprimis & finem morbi gravioris, ut & tuſſis negotium faceſſunt.

Pedes graves ſunt, & ambulandi difficultas, cum laſſitudine & δυσαρέστησι juncta. Alvus obſtructa magis, quàm laxa, feces alvi non raro albidæ, tincturâ debitâ biliosâ carentes. Urina aquoſa in frigido, & initio, rubra in calido & conſummato, cum copioſo ſedimento, bilioſo, tartareo, lateritio. Exaudiuntur borborygmi & fluctuationes in inteſtinis. Superiores partes flacceſcunt & exarent, inferiores à ſcrobiculo cordis excreſcunt, ita, ut ſæpè etiam exudet per cuticulam ichor in pedibus aquoſus, vel lixivioſus. Oculorum color aliquid icterici præ ſe fert, & quæ alia huc ſpectant.

Solenne quoque eſt hydropicis maſculis, penem retrahi & incurvari retrò, vel veſiculâ cryſtallinâ pellucidâ affici; in fœminis prominentia uteri ejus loco accidit aliquando.

Idem ſtabiliunt Causæ prægreſſæ, ex ſuperioribus notæ, & Similitudo.

Subjecti ſigna quod concernit, morbi quidem vel ſenſibus patent, vel eruenda ſunt ab adjunctis circumſtantiis, affecti v. g. uteri, hepatis &c. Flatuum ſigna tympaniticum ſtatum arguunt magis; circa extimum corpus conſiſtens œdema anaſarcam. Eſt enim nihil aliud, quàm œdema univerſale, vel amplioribus terminis diffuſum. In aſcite venæ liventes abdomen pingunt magis. Sic v. g. ſcrotum magis pellucidum aquoſitatem notat, œdematoſum anaſarcam & humorem viſcidum. Idem tenendum de flatibus.

Subjecti foventis ſeu cauſarum ſigna ex loco & aliis patefiunt, ſive dolores hypochondrii alterutrius, ſive hæmorrhagia narium, obſtructionum index, pro laterali convenientiâ ſtillans vel ex dextrâ, ſi hepar, vel ſiniſtrâ nare, ſi lien magis affectus; ſive alia ex propriis fontibus petenda adſint.

PROGNOSIN EVENTUS, ſeu SALUTIS & MORTIS in hydrope optimè omnium conſignavit *Cous*, ita, ut vel ſola illa ſufficere poſſint, *l. 2. prædict. c. XI. per tot.* & *Coac. prænot. t. 275. ſeqq.* Ex quo illud axioma potiſſimum ſaltem delibabimus, à quo omnia pendent reliqua: χρὴ δὲ, inquit, τὸν ὑπὸ τοῦ ὕδρωπος ἐχόμενον καὶ μέλλοντα περιέσεσθαι εὔσπλαγχνον εἶναι. *Eum, qui ab hydrope correptus ſuperſtes eſſe voluerit, bonis viſceribus præditum eſſe oportet.* Graviſſimus eſt affectus & vitæ inſidians, ex genere ἐνδοιαστῶν, qui frequentius ad mortem tendunt, ut & inter medicorum ſcandala relatus ſit.

Εὐσπλαγχνία illa optimè elucet ex actionibus, quibus præſunt viſcera, infimi cumprimis ventris, facultatis naturalis præſides, ſi ventriculus benè ad oblata habeat, ſi venter & hypochondria mollia, ſi urina ſufficienti quantitate reddatur, reſpiratio ſit liberior, anxietas minor, ambulandi potentia libera, habitus corporis udus magis quàm ſqualidus, & contrà. Præſtat urina aquoſa, quàm rubra. Recens facilius curatur, confirmatus difficilius. Durus tumor molli pejor eſt. Vagus & decreſcens potior conſtante & incrementum indies ſumente. Pulſus magnus & tardus facultatem robuſtam notat, frequens hecticum quid redolet, & infidum.

Ex his aliisque an evaſurus ſit æger, nec ne, colligere licet. Adde, prout ipſe ſæpe ſe gerit. Narratur hiſtoria prædictionis de hydropico, medico uno ſalutem, altero mortem prænunciante, quæ & conſecuta fuit, & utroque quidem rectè ex ſuâ hypotheſi; ille enim reſpexerat εὐσπλαγχνίαν & gradum morbi minorem, hic ægri immoderationem.

Remotior à naturali ſtatus malum indicium eſt mortis, certò inſecuturæ. Sic & hydrops in juvene ſæpe periculoſior, quàm in ſenectute viridi. Quò magis calor depauperatus, eò minor ſpes. Idem de ſingulis ſpeciebus valet, periculoſior verò eſt tympanites aſcite, & utroque ferè anaſarca utplurimum. Fluxilior enim humor citius removeri, quàm viſci-

viscidus, citius quàm flatus & conjuncta intemperies corrigi potest.

Hydrops calidus difficilior curatu, quàm frigidus. A gravioribus morbis prægressis oriundus, periculosior, ob vires naturæ dejectas, cœteris tamen paribus, unde *Hippocrates* omnem hydropem ex acuto morbo malum pronunciat; non enim, *addit*, ille sedat febrem, sed dolorem infert ac mortem. Pejor etiam, ubi salium major abundantia, quàm ubi desunt; pejor, qui à facultate læsâ, quàm qui ab errore externo. A scirrho dependens desperatus est.

Reliqua quoque ex his judicanda, ut diarrhœa, tussis, & alia, prout εὐφόρως contingunt, aut aliunde saltim, vel minus. Convulsiones supervenientes lethales. Recidivus *ἀνέλπιστος, desperatus* est, teste *Coo. l. c.*

Tempus Eventus hydropis omnis longum est, & tædiosum, sibi relicto morbo. Nec statim liberantur ægri, qui evasuri sunt, nec statim moriuntur, quibus spes nulla superest. Produci frequentius solet, si tempus assignare licet, ad menses sex circiter; quandoque verò ad annos differtur, si imminenti obviam eatur, nec possessionis jus, ut ita loquamur, conceditur. Frequentius solent morte defungi ægri tempore verno, aut autumnali adulto, cum folia induunt arbores, & cum exuunt. Confirmatum verò morbum communiter illum habent practici, qui per duos menses duravit.

Modus Eventus ad salutem fit depletione paulatinâ, per vias seri motui convenientes, alvum, urinam & sudorem, ut & *ἄδηλον διαπνοήν*. Pessima verò est *μετάστασις* ad ventriculum, qualem cum marasmo succedente annotavit *D. Præses.* Media ad alvum.

Non rarò in phthisin & marasmum degenerat. Sæpè apoplexia & catarrhi suffocativi superveniunt; aliàs lento utplurimum gradu vitæ filum abrumpit. Ascitici ferè suffocatione magis, reliqui etiam resolutione mortem oppetunt.

CAPUT VI.

De Curatione.

IN debellando hydrope vix feliciter sine METHODO MEDENDI, ceu pyxide nauticâ, vela ventis dabimus.

Ex INDICATIONE CURATORIA auferendus est tumor, stagnans aqua evacuanda & dissipanda. Ex PÆSERVATORIA δυσκρασία viscerum & obstructiones corrigendæ. Ex VITALI tonus & viscerum & totius servandus.

Quando ergò consulimus CHIRURGIAM, VENÆSECTIO ordinariè nullum hîc invenit locum; neque enim humori peccanti ullo modo proportionatum est remedium, quin laudabilem sanguinem & jamdum deficientem simul educeret, & flâmmulam vitalem pabulo suo defraudaret.

Seri à sanguine separati,& in cavitatibus ac poris præternaturaliter collecti, ratio habenda est præcipua. Et hoc quidem valet de omni hydrope confirmato, hinc & ascite seorsim, & tympanitide. Quod vero *Pergâmenus* in anasarcâ Venæsectionem suadet, id nec ipsum locum habet, ut in aliis quoque, nisi indirectè, in mensium obstructione vel hæmorrhoidum conjunctâ, quando in massam reliquam fit regurgitatio, deturpatio, indeque tumor.

Vicariæ V.S. CUCURBITULÆ partim SICCÆ, partim cum SCARIFICATIONE opem ferunt, quatenus illæ dissipant, hæ educunt serum. Neque id tamen promiscuè,sed magis in initio, materiâ aquosâ magis, quàm salinâ, lixiviosâ,partibus, v. g. pedibus,non nimis de tono suo dejectis, nec molli, nec duro nimis statu, in adsuetis, ubi intermissa fuit hæc evacuatio prius celebrata, & quando nihil prohibet. Ita enim quandoque scarificatio, per vices adhibita, eductâ εὐφόρως aquâ onerosâ, ipsum hydropem antevertit.

VESI-

VESICATORIA minorum sunt virium, quàm ut deplere aquam possint, præsertim ex abdomine; sed potius doloribus & læsione, quam partibus jamdum debilibus inducunt, molesta, adeoque rarò, vel non omninò adhibenda, quin facilè inflammationem progignunt graviorem. Locum horum tuentur leniori acrimoniâ gaudentiâ, ut sedum minus plantis pedum applicatum, quod insigne est εὐπόριστον.

CAUTERIA quamvis propius curæ accedere videantur; ob modum tamen evacuandi & sequentes inflammationes suspecta esse debent, cum ulcera in hydrope facilè degenerent. Hinc FONTICULI curandi fine minus præstant, quamvis præservandi non parum prosint, cautè applicandi. Ulcera hydropicorum non solùm sunt δυσίατα, sed & ob lympham salibus acido-acribus porosque findentibus imprægnatam gangrænam facilè inducere possunt, quod & eo casu sæpe fit & præcavendum est, quando tranat poros & stillat ex pedibus salsior.

FRICTIONES locum habent in partibus extremis tumidis, in leucophlegmatiâ & ascite, semel vel bis de die, seu manu mediante, seu pannis delicatioribus institutæ, ut pori sic perspirabiles reddantur, & diffletur ichor.

Decantatissimum remedium est PARACENTESIS, seu punctura & perterebratio partium aquâ extensarum, ut ex cavitate, velut dolio quodam, depromi & educi queat. Duplici hæc loco institui potest potissimum, in abdomine & scroto, ut hydropem pectoris non memoremus, ubi & in thorace commendatur. Quæ circa illam cavenda sint quoad acum, hodie canali ipso compendiosè constantem, quoad locum specialem, ne lineam nerveam lædamus, & ipsam ἐγχείρησιν, hâc vice omittimus, quod apud Chirurgos, *Barbettam, Scultetum* & alios id explicetur latius.

Ast abdominis illa punctio rarius paulò observata est profuisse, sæpius verò accelerasse morbi cum vitâ exitum, ichore purulento facilè subsequente, etiam omnibus probè

 obser-

observatis. In iis autem, quibus forte profuerit, dubitari potest, an evaserint ope medicaminum correctâ lymphâ ac obturato fonte, an ab hoc præsidio. Quicquid horum sit, si ægro & morbo urgente instituenda fuerit, sequendæ sunt regulæ Hippocraticæ, faciendo id maturè, nec unâ vice deplenda aqua extravasata, quicquid in contrarium cum *Eustachio Rhudio* quidam asserant.

Magis locum habet, ut omnis quoque hydropis ad extra depletio, in seri statu aquoso, quàm salso nimis, aut viscido. Imò quandoque natura ipsa sibi quærit vias & ligamentis umbilici reseratis, eoque in vesiculam extuberante, evacuationem hanc instituit cum successu, quo casu monentem sequi licet; quam in rem videri merentur *A. Laurentius hist. anat. p. 418. & in indice*, *Gabrolius*, alii.

Paracentesis in scroto ratio eadem est quoad plerasque laudatas cautelas. Tutior hæc & usitatior in ascitico statu, etiamsi gangræna ipsa succedat à corrosivo humore, succrescente super nudatos testes scroto, quod *Rolfincius Epit. Aff. l. 3. c. 9. p. 235.* & *D. Præses* vidit.

Referri huc meretur, quod aliquando à facto vulnusculo pedum, aliquando ἐκ παρακεντήσεως benè cesserit adapertio, quale exemplum refert *Riverius in obs. p. 676.* quod mulieres quædam hydropicæ curatæ fuerint per abscissionem unguium in pedibus, simul portiunculâ carnis detractâ, effluente h. m. aquâ, & ægris sanatis. Neque id tamen imitandum temerè, sed subjectum, causa, naturæ conatus, humoris qualitas, aliaque consideranda, ad id semper magis directâ curâ, ut proventus novi affluxus præcaveatur, nec palliativâ saltim curâ conemur opem ferre.

Locum etiam habent aliquando LIGATURÆ, non tàm stringentes, inæquales, noxiæ potius, sed æquales & roborantes, fasciam latam pedi tumenti sursum circumvolvendo, ut sic lympha discat magis sursum adigi, & calor roboretur simul magis.

Ad PHARMACIÆ armamentarium progressi, quæ

morbo opponi queant ex loculis hujus lustrabimus. Rationem seri congesti, quantitate, motu locali & qualitate peccantis, educendi habent præsidia universalia, & ex his

LENIENTIA. Hæc ad glandulas intestinales revocant aversam lympham & illuc eliquant, fermenta intestinorum restituunt, archeum officii admonent, bilis inertiam & obstructiones primarum viarum reserant, flatibusque exitum naturalem commonstrant. Talia esse queunt detergentia & stimulantia salina appropriata, ut *crem. & crystalli ♀ri, ♀rus ⊕latus s. & compositus, anima rhabarb. & senn. ♀iata, pilulæ aloeticæ, Francofurtenses, Glassianæ, aloe rosata, violata, cum scammon. ♂te, extr. panchym. & aliis acuata, pil. ♀eæ Sröderi, Bont. Quercet. electuar. lenitiv. catholic. pulp. cassiæ, tamarindorum.*

Locari huc merentur clysteres ex lenientibus, carminativis & purgantibus fabricandi; item infusa aperientia & blanda purgantia simul, ♂te præsertim & clave ejus ♀ro junctis.

Gradu eminentiori idem exequuntur PURGANTIA fortiora, & inter hæc hydragoga. Visi sunt ægri multoties cum εὐφορίᾳ his usi, & morbum sic exturbatum experientia redocuit, neque id absque ratione. Utut enim videatur receptio ex cavitate abdominis in intestina difficilis, natura tamen per poros sibi vias novit parare, qui in vivis undique sunt infiniti. Et sanè hic modus deplendi aquam est convenientissimus, fuso sic sero & in motum citato, disjecto coagulo, attenuatis flatibus, citatâ simul διεξήσει.

Prosunt hoc nomine *gialapa, mechoacanna, gummi guttæ, rhabarbarum*, eximium simul alterans & roborans, *agaricum trochiscatum*, horumque extracta & magisteria, *extr. helleb. nigri, trochisc. alhandal, ☿ dulc. elaterium, gratiola, soldanella, iris nostra*, quoad succum & feculam, *succus rad. ebuli*, laudatissima remedia, non neglecto tono ventriculi. Quod verò *crystallos ☽æ*, seu ☽am hydragogam attinet, quamvis hinc inde commendetur, & data in pilulis ad g. iv. v. videatur operari mitius; cavendum tamen est, ne vel hâc ipsâ rodamus inte-

inteſtina, & malum malo addamus, vel ſtimulemus fortius. ☉ *fulminans* ſpeciatim in tympanitide commendatur, non minus tamen in reliquis valet. Ex his compoſita varia, pulveres, pilulas, electuaria & alia facilè parare licet, pro lubitu, in his exercitato.

Non autem uno ſolo purgante res expediri poteſt, ſed repetitione hîc opus eſt, ita tamen, ne excedamus, habito ſemper ad tolerantiam reſpectu. Hinc ex methodo medendi curatiori interpolantur eadem cum alterantibus & aperientibus; ſin ſecus procedamus, vel non extruditur materia peccans, vel facilè colliquantur humores, & tonus viſcerum labefactatur.

EMETICA intentione primariâ paulò rarius huc trahuntur, niſi quid urgeat; utiliter tamen pro acuendis purgantibus, pectore ſalvo, commiſcentur; ut activitatem ſortiantur majorem, ſicque radix in primis viis hærens averruncetur felicius, depromtâ huc ſelectiori materiâ ex *g. g.* ☿ *vitæ*; ⊖*e* ⊕*li* & horum apice ♀ *emetico*, ▽ *bened. Ruland*. *Radix aſari* & exin præparata laudari merentur tum vomendi hoc uſu, tum alterandi ſimul, ob aromaticam λεπτομέρειαν conjunctam.

DIURETICA ſummum ſunt remedium, & maximè morbo conforme. Ea enim ſerum ſuperfluum ſtagnans, & alioqui per urinam, tanquam viam ordinariam, amandandum, in motum cient, & ad excretionem per vias urinarias aptant; ſive in M.S. adhuc exuperet idem ſeroſus humor, ſive deflectens à regiâ hâc viâ huc illuc in cavitates tendat. Conveniunt diuretica, ſeu renum culpâ, ſeu aliorum viſcerum cumuletur lympha & ex ſuis vaſis excidat, nec ad vias urinarias, niſi parcè, deflectat. Commendanda hinc ſalia fluorem debitum ſero conciliantia, tùm alcalia, tùm acida, tùm media, fixa & volatilia, ut ⊖ *abſinth. geniſtæ, cichorii, artemiſiæ, ononidis, agrimoniæ*, ♀ ⊕ *latus*; *Cineres bufonum* hydropico cuidam ab uxore propriâ, pertæsâ mariti, propinatos præter intentionem morbum per lotium ſuſtuliſſe, autor eſt *Wierus in obſ.*

Uſi-

Usitata magis sunt ⊖ *succini volat.* ⌒ ♀*ri* ☐*nosus*, *R̄a silicum Glauberi*, *R̄a* ♀*ri simpl.* & *composita*, ⌒*us aperitivus Penoti*, ⌒*us* ⊖*is*, qui & sitim simul sedat, *clyssus* ☿*ii* ♀*isatus*, 🜂*ratus*, ♂*lis*, *arcan.* ♀*ri simpl.* & ♂*tiale*, *arcan. duplic. Mynsicht. lixivium bened. Myns.* vel simplex quoque aliquod, & quæ alia ex ipsis specificis huc referri possunt. Optima enim hæc sunt aperientia simul, ut *rad. 5. aper. maj. & min.* infusa & decocta *gran. cynosbat. juniperi, rad. ebuli*, magistralia vel euporista, & alia non laudemus pluribus.

Prosunt magis diuretica præmissis purgantibus, selecta pro intemperie calidâ vel frigidâ, habitâ ratione ventriculi & urinæ ipsius. Aquosa verò, quæ dilutiora gerunt salia, ut acidulæ, sali nitroso vitriolico debentia virtutem, minus conveniunt, nisi forsan in adsuetis, hydrope calido, conjuncto robore ventriculi, ubi diluitio & temperatio salium requiritur, & aliis circumstantiis, unde *Dodonæus* & *Heerius* Leodienses notant profuisse hydropicis, alii contrarium experti.

Diaphoretica in hydrope improportionatum quidem videntur remedium, ob majorem seri extravasati copiam, & quod sudor difficilius ferè ex hydropicis eliciatur; attamen & illa vim attenuandi difflandique lympham in hoc morbo exerunt eximiè, & naturæ monstrant viam aliam. Quin ea ipsa quandoque huc inclinatione quâdam fertur, uti sudore spontaneo guttatim poros transiente curatum aliquoties memorat hydropicum *Barthol. c. 3. hist. 23.*

Prosunt in ascite, halituositatem fœnerando lymphæ torpidæ. Prosunt in anasarcâ, ubi in habitu corporis magis est vitium & specialius eadem indicat. Prosunt in tympanitide, sunt enim simul carminativa, & diureticis ipsis symbolisantia. Laudanda ex his ♁ *diaphor. bez. minerale*, quod *Helmontius* omnem hydropem modestè tollere citrà metum recidivæ asserit; *bez.* ♂*tiale*, *C. C. philosoph. conch. ppt. lap.* ♋. *ppt.* ☿ *nativa* & ☿*ii*, ⊖ *succin. vol.* *R̄a bez. M. S.* infusum *chinæ*, *sarsæp. ess. lign. rob sambuci, ebuli*, quod ὀῤῥαγωγὸν est egregium, *theriaca Andromachi*, ☿ *diaph.*

Sudationes quoque particulares ſe commendant, præmiſſis univerſalibus, uti thermarum uſus, balnea laconica & vaporoſa, affuſo liquore appropriato in lateres candentes, ad partes affectas derivato fotu, non ſunt de nihilo. Attamen cavendum eſt, ne partem reddamus calore nimio extraneo intemperatam, neque enim pelli vult & hîc natura, quod fit δυσφόρως ſæpe. Et ſudore iſto ſæpe falluntur ægri, putantes, uvidam partem redditam ab exudante humore, quod vapori illuc appulſo potius adſcribendum. Olim quidam arenæ calidæ corpus immergebant, quod ut in regionibus calidioribus profuerit, ita apud nos inuſitatum eſt, nec locum habet. Pedes verò ſeorſim furfuribus calidis immergere, vel ſacculis ex ſale & aliis euporiſtis licet, pro digeſtione & tranſpiratione humoris aquoſi promovendâ. Inſervire huic etiam poteſt *decoct. fl. chamomillæ, fol. ebuli, ſambuci, geran. Robert. chelid. maj.* & aliorum. Triſtia inſuper memorantur exempla, ubi præpoſterâ curâ quidam ægros furno ferventi concreditos exanimes extraxerunt.

Alterantia Specifica ex parte tacta jam ſunt, inter ſeri peccantis univerſalia præſidia; addi verò & horum loco haberi meritò debent, quæ tùm ſervando viſcerum robori, tùm reſtaurando inſerviunt, cauſæ ſimul debita, v. g. antiſcorbutica, aperientia, hepatica, ſplenetica, carminativa, cordialia, ſtomachica, è ſuis ſcriniis huc arceſſenda, uno verbo tonica, uno potiori, vel pluribus nominibus conſpicua. Sic, modò calida vel frigida cauſa ſimul attendatur & diſtinguatur, maſculè ſe gerunt ſale volatili oleoſo pollentia, illaque, quæ partium tenuitati roborantes particulas habent conjunctas, ut ex ſimplicibus v. g. *abſinthium, rhabarbarum, anima hepatis dictum; centaurium minus, roſmarin. rad. vincetox.* Medicus quidam, teſte *Coitero*, hydrope correptus ab eo multo ac diuturno *piperis* uſu ſe ipſum liberavit, ſed tandem in hecticam marasmoden incidit. Præſtant reliquis *martialia*. Ex compoſitis *ſpec. diacinam. diaxyloal. arom. roſ. caryoph. diatr. ſandal. diarhod. Abbat. diagalang. pulv. cachecticus* ♃*inus*,

♀*eus*,

🜿eus, ♁ ♂tiale cachectic. R̄*a ♂tis cydoniata, ⊙ris, cum arc. 🜿ri; eſſ. ♂tis ⊖lata, elix. antiſcorb. ♂tiale,* R̄*a corallorum, hepaticum rubrum Dresdenſe, crocus ♂tis ⊖latus, ebur ſine igne ppt. arc. duplicat.* cum *♁io ♂tial. cachect;* infuſa hepatica & ſtomachica ex *vincetox. zedoar. limat. ♂tis, mixt. aperitiva, antiſcorbutica, anthydropica, ∽ ⦶tri d. balſ. 🜍 aniſat. ∽ & eſſ. carminativ. theriacalis balſamica.* & ex his aliisque componenda & maritanda invicem varia.

Inter Topica memoranda unguenta & linimenta, tùm viſceribus debita, tùm partibus affectis. Sic proſunt illo fine in partibus affectis aromatica, viſceribus roborandis dicata, item emplaſtra hepatica, ſplenetica, *de ✱co Foreſti, de cicutâ, ſandalinum, magneticum* &c. Hoc verò ſcopo fotus, immerſiones, *emplaſtrum diaphoreticum, hydragogum Auguſt.* & alia laudantur.

Fimus bubulus vulgo decantatus eſt, quo olim Euripides hydrope correptus univerſum corpus illevit, ſed indurato illo, rigentibus convulſisque membris, interiit, quod apud *Tatianum* legimus.

Sin ulcera minetur ſtillans ichor, vel gangrænam ipſam, *empl. de lap. calaminari, ♄nina, diapomphol. album coctum, oppoteldoch & defenſivum, unguent. de lithargyr. contr. ambuſta* & hujus farinæ alia adhibenda. Ita tamen omnia ordinanda ſunt, ut ad ſpeciem & individua ſingula applicemus, & ægrum hunc illum cùm ratione & conſideratione ſtatus præſentis benè curemus, non neglectis ſymptomatibus urgentibus, ſiti, tuſſi, & ſimilibus.

DIÆTA agmen claudit, probè ægris hujusmodi ante omnia ſervanda. In Vitali Aer temperatus, vel calidus magis convenit; frigidus fugiendus, ne poris concentratis tranſpiratio ſufflaminetur, lymphæque congeſtio & ſtagnatio oneroſa ſic augeatur.

In Naturali cavendi ſunt Cibi δύσπεπτοι, craſſi, viſcidi, humidiores, infumati, ſaliti nimis & flatulenti. Eligendus contra ea ægris victus coctu facilior, ſiccus præ hu-

mido, ut assata præ coctis, & mediocriter aromatibus & condimentis aliis gratior redditus. Cerevisia & vinum recentia, feculenta, vappida, mustum, & similia vitanda: bonæ autem notæ quæ sunt, præsertim medicata, diuretica, & pro siti moderandâ acidulata non deneganda.

Sunt ex numero illorum hydropici, quibus victus plenus minus, attenuans autem magis convenit. Cavenda hinc omnis inordinatio & excessus. Sique robur supersit ventriculi, reverenter id habeatur, ne serum accumuletur in corpore magis. Cumque abstinentia à potu multis auxilio fuerit, regulandus est idem pro virium, indigentiæ & depletionis modulo.

In ANIMALI SOMNUS non sit excessivus, ne torporem augeamus & spirituum & humorum: nocet & diurnus. Vigiliæ moderatè se habeant.

In MOTU & QUIETE justa adsit temperatura, ille tamen præ hâc svadendus, nam ignavia corpus hebetat, labor, saltim subjecto proportionatus, firmat. A venere abstinendum, ne balsamo suo depauperetur sanguis, & spiritus lassentur magis. ALVUS & vesica semper respondeat functionibus suis. ANIMI PATHEMATA rationis freno moderanda, fugienda verò tristitia, timor, terror, ira & anomaliæ aliæ.

SOLI DEO GLORIA.

Decumbit patiens: morbi pertæsus anhelat,
à medicis miserâ voce duobus opem.
Pernegat hic ullo medicamine posse juvari,
hic ait, innitens omine quisque suo.
Respiciens animum victor sic callidus infit:
Tu corpus, mentem perputo, litis agrum.
Decidens æger dubitantia dogmata, victu
non benè composito concidit ante diem.
GÖCKELIUS monstrans, ut tolli pallidus hydrops
rite queat, capiti digna brabéa parat.

Honoris & affectus singularis tesseram hanc ponit
PRÆSES.